


Zc  
5179

DE  
CONVICTV MAETTIGIANO  
DISSERIT,



AD  
DVCENTESIMA NATALICIA  
GREGORII MAETTIGII,

DIE XXVI. SEPTEMBRIS, cl<sup>o</sup> CCLXXXV. A X.

IN ATRIO CVRIAE CELEBRANDA,

MAGNIFICVM SENATVM,  
ET  
CETERVM FLOREM VRBIS,

SVMMA HVMANITATE ATQVE OBSERVANTIA

INVITAT

M. CHRISTOPHORVS HIEREMIAS ROSTIVS,

RECTOR,



BVDISSAE,

EX OFFICINA VIDVAE IOH. ELEON. SCHOLZIAE.

11.789

**I**n extremo Lycurgo, cuius vitam accuratè persecutus est Plutarchus noster, proditum legimus, tanto in amore etiam post mortem suis virum fuisse, vt in eius memoriam festos ac solennes dies, nomine Lycurgidum, instituerent, et magna frequentia, nec minori religione quotannis obirent. Etsi autem ignoramus, quamdiu honor iste optimo legislatori steterit; tamen multæ causæ concurrunt simul, vnde suspicemur, officium, quod amico amici satis primulum ambitiose præstitissent, paullo post omissum, remque totam breui in desuetudinem venisse. Idem accidit aliis infirmitatis similiter vel ab hominibus priuatis, vel adeo ab ipsis Regibus, vt iure admirari liceat Gregorii Mættigii non minus in ceteris rebus, quam in hac re, summam felicitatem, cui, quod paucissimis, omnino contigerit. Namque sacris anniuersariis apud nos supra centum annos iam cultus est, et vsque ad hodiernum diem, maxima voluntate omnium, colitur, eo modo, quem ipse definiuerat. Quod enim placuit hoc anno Patribus Amplissimis, discedere tantisper a præscriptione ac regula, et pro gratulatione onomasmatis, eius natalem celebrare, id amplioris honoris causa factum videtur, et vt manifestum esset, tam benefici Viri memoriam in hac vrbe atque schola magis quotidie florescere. Ergo, inquis, natalicia mortui! quid vetat? nonne Britanni, quæ gens aut sapit rectè, aut nulla prorsus per orbem terrarum sapit, idem tribuere solent Elisabethæ suæ? nonne idem verisimile est, Timotheoni Corinthio vniuersam Siciliam dedisse? Quid quod et Epicurus, naturæ ac veri quam non fordidus auctor! discipulis moriens præcepit, vt diem, quo natus fuisset, omnibus annis solennem ac festum agitarent. Ac quemadmodum Callimachus putabat, in libationibus Iouis de ipso Ioue sibi dicendum: ita nos videmus scribendi aliud argumentum querere non debere, quam quod temporis ratio nobis suppeditat. Igitur de Mættigio, et conuictu Mættigiano perpaucis sane, more nostro.

Ac quod ipsum Mættigium atinet, satis constat, edium eum apud nos die XXV. Septembris, c1010LXXXV. in lucem, itemque educatum apud nos, exisse hinc Lipsiam, Argentoratum, Basileam, vt augeter se scientia, et medendi artem inprimis disceret. Cum reuertisset in vrbem, medicinam fecisse, et per aliquot annos etiam Senatoris gradum tenuisse: c1010CL. die XXX. Martii, occidisse. Plura volentibus dabunt, qui de nostri vita vberius ac fusius: eminent in numero, quorum opera sumus vsi perlibenter, Martinus Gumprechtus, Daniel Fredericus Ianus, Carol. Gul. Aug. Heringius. Nobis festinandum in rem præsentem, et, quod paullo ante promissimus, de conuictu Mættigiano breuiter. Ergo Mættigius fecit morti proximus testamentum, in quo, cum scripssisset vxorem heredem, et multa multis, eaque non modica legasset, eam rationem habuit scholæ, et Blæsauica mola percipiendis, liberaliter assignaret. Atque in hanc voluntatem ipse fatetur impulsus se temporibus ciuitatis, quæ vexata bello diuturno ac crudeli experta esset tandem, quid extremum in malis haberetur, cum tota deflagrasset illata flamma, sic, vt alter alterius auxilio indigere, et fere omnes simul egere cepissent. Itaque adductus misericordia cum suorum ciuim consolari ærumnam benigne multa ac munifice faciendo, tum inprimis decreuit suscipere in se publici oneris partem, et duodecim inquilinos discipulos, quibus prandia præbita hæctenus quasi publice ab incolis vrbis fuissent, suis sumptibus deinde alere, et, vt ita fieret, testamenti sancire tabulis. En tibi Mættigiani conuictus quasi iacta fundamenta! Magnifico autem Senatui, quem suorum iudiciorum esse custodem atque tutorem voluerat, nihil magis curæ cordique fuisse accepimus, quam, vt satisfaceret optimi Testatoris desiderio, et tanquam bonus architectus nouum illud opus, ad expressam formulam, positis fundamentis, constitueret. Enimvero moram afferebant pecunie impeditæ nonnihil, quas ille extruendo huic ædificio attribuerat: quibus explicatis vtrunque, res successit exsententia, et, Deo immortalis adiuuante consilium, in eum locum peruenit, in quo illa est vsque ad hodiernum diem, eritque semper, vt confidimus. Vellem apponere liceret annum conuictus primum initi! Sed eruere eum nullo modo potui ex tenebris, cum extincta essent, nescio, quo casu, ista lumina literarum, quæ rem in obliuione iacere non sinerent. Nihilominus tamen, aut ego egregie fallor, aut ita contigit circiter c1010CLXV. quo anno Paullum Liebium inueni conuictus Curatorem factum, quem eundem fuisse Præpositum conuictui, posterius apparebit. Quibus cogni-

cognitis nunc deinceps sigillatim age exponamus, quas partes muneris eius ipse Senatus traheret, quas per singulos vel ex suo corpore, vel per extraneos procuraret. Ac Collegii Amplissimi est, Mættigianæ tabulas omni pacto tueri ac defendere, maxime autem dare operam, ut, quem sæpe dicimus, ne quid damni detrimentique conuictus capiat. Penes tantum Senatam est, augere alias, alias minuere, prouti sint tempora, numerum alumnorum, in loca vacua alios, et probatos sibi recipere, sed tamen ita, ut homines et Mættigii, et Rosenhayniæ cognitionis, quam bene dotatam, recteque moratam in priori matrimonio habuerat, utique ceteris præferantur. Item leges *συμειώταις*, latas, quoties videtur, emendat: quarum legum extat exemplum in legibus scholasticis, quas c151000 typis excubendas curauit. Ab eodem Senatu præceptorum testimonia de fodalibus istis crebro exposcuntur, recte atque ordine facientibus præmia proponuntur, triennii quidem prorogatio, stipendium Academicum, quod dicunt, alia; indigne contra se, remque gerentes metu, etiam, si necesse sit, pœna coercerentur, interdum, tanquam scholæ aliqua struma, excantur. Veniamus hinc ad Viros honestissimos, qui reliquas partes, auctore Senatu, huiusce *λεξιλογίης* administrant, inter quos obtrinet principem locum Curator, adeptus nomen ex eo, quia maximam partem suæ curæ in conuictus nostri salutem deriuare cogitur. Ei Mættigius ipse fundos suos commendauit, pecuniam, vnde sustentarentur epulones, permisit, quam tractaret diligenter, certis nominibus cautam occuparet, vsuras atque fructus inde cogeret, et rationes accepti et expensi suis temporibus ad Senatam referret. Dicecetæ et hoc negotii datum a Collegis, ut de stemmâsi eorum, qui propinquitatis iure vellent inter Mættigianos scribi, omnino cognosceret, statueret, iudicaret: ut inspiceret crebro, quæ vita, qui mores, quæ studia Mættigianæ familiæ essent, et numquid satis commode, liberaliter, ac pro dignitate instituti haberetur. Sed enim cur non breuiores sumus in Curatoris officio explicando, cum quisque facile perspiciat, nostris ab eo eadem fere, etiam plura tribui, quam suis pupillis curatores præstare soleant. Quocirca nihil addemus, nisi grauissimorum Virorum, quos ista cura sanctos laudabiliter vsque ad hanc ætatem reperi, et nomina et vero tempora. Igitur primus fuisse videtur Schneeuueisius, Schneeuueisium excepit Gaspar Henrici, cui successit c1510CLXV. Paullus Liebius: Liebio mortuo c1510CXCII. Hieremias Behrnauerus: et inde c1510CCXXVII. Carolus Gottlieb, eius filius. Post hunc sibi passus onus illud imponi c1510CCXLVI. Paullus Godofredus Calemannus, in provincia successorem accepit c1510CCLXXIII. Johannem Petrum Henrici, quem præesse nobis hoc tempore lætamur, et diu præesse volumus. Pergimus ad Præpositum Mættigianum: idem Oeconomus audit, quia victum quotidianum præbere debet alimentariis discipulis. Præbentur autem cum prandia, tum cenæ, non quidem cum cenis Pontificum ille comparandæ, sed tamen, cuiusmodi nec liberales ac lauti homines fastidierint. Apud eundem Præpositum gratis habitant conuictores, ceterisque rebus fruuntur, quæ requiri solent ad munde atque commode habitandum. Quæ ratio quantum momenti habet ad istos homulos seuera disciplina continendos! quantum facit, ut teneri animi pietate, modestia, et assiduitate mature assuescant! Atque id intuens hoc muneris videtur Mættigius potissimum ad Rectorem detulisse, qui regeret vniuersam scholam, et cuius auctoritas plerumque soleret esse maxima. Sed quoniam accedere potest, ut Rector aut nolit isto munere defungi, aut adeo non possit, licet per testamenti tabulas rem difficilem ac periculofam, etiam aliis grauibis, ac honestis Viris committere. Sic sæpe accidisse, vel hæc qualiscunque docuerit Oeconomorum successio. Paullus Liebius defuit esse Præpositus c1510CXCII. cum ab anno c1510CLXV. fuisset. Hieremias Behrnauerus, c1510CCXXVII. Georg. Ehrenfried Behrnauerus, Rector c1510CCXXXIX. Iustus Gottlieb Hertscholdus, Subrektor c1510CCLXII. Christoph. Hieremias Rostius, Rector, quo anno sit desiturus, *Θεὸς ἐν γένεσιν κἀγαθός*, mox videtur. Atque ego quidem cum euocatus Plauia Narischorum, cui Deus Immortalis faueat, in urbem hanc c1510CCLIX. descendissem, et locum Præpositi iam ab Hertscholdo vidissem occupatum, facile, rem manere, patiebar, qualis esset, etiam, Rectore Zeiskio; fuisset; neque tamen post mortem desideratissimi Collegæ iure quasi meo uti poteram, ob caritatem numorum, et difficultatem annonæ, eoque meliora tempora expectare cogebam. Itaque, intermisso conuictu tantisper, satis mihi statui, custodire atque obseruare Mættigianos ex vicino, qui scholasticum in vicum commigrauerant, pro ipsis ciba-

cibariis interim accepturi pecuniam. Tandem vero illuxit annus lætissimus, quartus post septuagesimum huius seculi, quo tota res in antiquum statum restitueretur, fierentque denuo omnia, quæ more atque instituto fieri deberent. Exinde quatuordecim habui ex fæta Mærtigiana et conuictores semper, et propemodum contubernales, collocatos illos in membro ædibus meis adhærente, publicis sumptibus c1010CCLXIX. ædificarunt. Totidem numerabantur c1010CXCIX. plures, scilicet quindecim c1010CC. viginti c1010CCXXVI. duodeviginti c1010CCXXVII. Contra pauciores et quidem c1010CXCII. sex, c1010CXCVII. vndecim, c1010CXCVIII. duodecim. Neque vilo modo dubitamus, fore, vt noster hic numerus, quæ Magnifico Senatus erga nos est voluntas, simul ac copia fuerit augendi, accessione noua rursus augeatur. Officium autem Mærtigianorum est alterum commune quidem cum commilitonibus, vt omne genus officii bonorum discipulorum expleant; alterum proprium, idque fere quadruplex: primum grati animi erga Deum, Senatum vrbis, et Mærtigii memoriam: alterum, vt preces stas simul quotidie faciant, et religiones priuatas locis suis ac temporibus obeant: tertium, vt careant vitio, ceteris sint specimen: quartum denique, vt memorie Mærtigianæ omnibus annis suo quisque ordine pietatis memores parentent. Quæ parentalia solet Rector proposito libello, quales nos scribimus, indicare ciuitati, et ad ea, dignitate ac frequentia celebranda, rei nostræ Fautores inuitare. Morem Rosenbergius introduxit, retinendum illum ab omnibus, qui præclarissimo viro successuri essent, c1010CLXXX. Quare Theillio, Rectori valde impigro non placuerit, hanc viam demonstrare nobis, nulla coniectura assequi potui. Namque quod in Albo scriptum manu eius reperimus hifce verbis ad tertium Aprilem, c1010CLXXIV. „habebantur tres orationes Latine in laudem B. D. Gregorii Mærtigii, a tribus superioribus eius beneficiariis, qui mensa illius quotidiana fruuntur. Indictæ fuerunt absque publico programme; sic enim tum voluit Senatus.“ id fateor, cum res tota nimis remota sit a nostra memoria, non satis me capere. Nobis aliter facere nec licuit, neque vero lubuit, cum optimorum Antecessorum tot haberemus exempla, et Mærtigius non solum voce atque oratione, sed etiam literis, monumentisque decorandus esse videretur: inprimis hoc anno, quo secularia sacra læti atque ouantes peragimus, et immortalis Viri ducentessimum natalem inuifitata ac noua pietate concelebramus. Gratulationem eam, vt diuinæ religiones integræ manerent, neque officium maxime necessarium vilo modo interrumperetur, visum est Magnifico Senatui, in crastinum diem omnino differre, quo die iussa eiusdem Magistratus, et ita quidem res geretur, vt ego de Viro illo commemorabili virtute, ac liberalitate prædico, non multa præfari Latine instituum. Deinde vero in conspectum Auditorum et existimationem adducuntur tres numero scholæ huius discipuli, Theodifce dicturi, omnes illi Mærtigianæ munificentie admiratores, ac prædicatores; tertio loco positus etiam eius munificentie particeps:

Fridericus Gulelmus Ehrenfried Rost, Budiffensis.

Iohannes Sigismundus August. Hentsch, Budiffensis.

Ernestus Beniamin Gotthelf Schmieder, Grosspartwitz. Lusatus.

Et ille quidem obiter tres numero laudabit egregios fautores scholarum: iste totidem personas commemorabit, quibus contigit idem, quod debere cras Mærtigio desinemus: hic cum Deo Immortali, tum Magnifico Senatui, et memorie Mærtigianæ gratias ager maximas, et maxime debitas pro dato, conseruatoque tam rari exempli beneficio, eidemque perpetuitatem et æternitatem, quoniam est e republica, pie augurabitur. Ceterum etsi plane intelligo, nec Magnificum Senatum, neque alios Viros bonos, atque doctos huic nostro defuturos esse tempori, sed plus adeo tributuros nobis, quam eos ego rogare audeam; audebo tamen ab optimis Viris etiam atque petere vehementer, vt me velint, meosque discipulos audire benigne, ac persuadere sibi, nos omnes ex splendore eorum ac frequentia incredibilem voluptatem capturos esse.

P. P. Budiffie, die XXV. Septembris, c1010CCLXXXV.

F. H. 30, 34

Z c  
5179

DE  
CONVICTV MAETTIGIANO  
DISSERIT,

AD  
DVCENTESIMA NATALICIA  
GREGORII MAETTIGII,

DIE XXVI. SEPTEMBRIS, 1735 CCLXXXV. A X.

IN ATRIO CVRIAE CELEBRANDA,  
MAGNIFICVM SENATVM,  
ET  
CETERVM FLOREM VRBIS,

SVMMA HVMANITATE ATQVE OBSERVANTIA

INVITAT

M. CHRISTOPHORVS HIEREMIAS ROSTIVS,  
RECTOR,



BVDISSAE,

EX OFFICINA VIDVAE IOH. ELEON. SCHOLZIAE.

11.789

